



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-557778-p0001-9

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-557778-p0002-4

DFG

4079.

1664, 9

22  
VofG

15

C. B. D.  
EXERCITATIO ACADEMICA  
*de*  
STATU REIPUBL.  
CONVENIENTISSIMO,

*Quam*  
IN ALMA VIADRINA,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS SIMONIS

S.S. Theologiae Licentiati, ac Philosophiae P. P.  
publicæ censuræ

*Submittit*


RÜDIGERUS CHRISTIANUS de VVEDELL,  
Neomarchicus,

*In Auditorio majori Philosophico  
Die 15. Octob. Anno 1664.*



Exudit ANDREAS BECMANUS.

4½



**DUCE DEO, COMITE VIRTUTE.**  
**PROOEM.**

**I**N Publicum progreder de Statu Reipubl. Convenientissimo disputatus. Omnia enim in ordinem redigere, principium Politicorum est. Quo deficiente, in confusum ruunt omnia; Virtus cum vicio, Pietas cum superstitione, Vulgus cum Proceribus. Imo omnia miscentur; Natur a ipsa jubet, adeò ut in Statu integritatis, etiam futura fuisse quædam Reipubl. forma, eò directa ut transgressionem inhiberet: Tollendo enim ordinem, Harmonia contradicimus, que idem in animatis, quod anima animalibus præstat; In corpore vero Politico recta administratio & concordia membrorum. Harmonica autem illa concordia Civitatis consistit in Imperij & subjectionis recta ordinatione. Cujus cum variae dentur forme, & pro diversitate ab his & illis assumantur, ut ferè periculorum videatur suscepimus, unam atq; alteram proponam, & pro natura & ratione, non ex hypothesi, quatenus huic vel illi civitati arrideat, sed simpliciter & indefinite, judicabo.

**CAPUT. I.**

**S**Tatum Republicæ convenientissimum propositurus, & re duco Rempubl. prius in genere ob varias de ea sententias, considerare. Ubi statim in limine notandum. Nomen Republicæ Sanctum esse; Siquidem ab ea latronum ac piratarum coetus arceantur. Germ. reddi potest das Gemeine Wesen. Definit eam Boxhorn. in Institut. Politicis c. i. Quod sit Imperium corporum

A 2

multos

multorum ad agnoscendam ejusdem Imperij Majestatem iisdem legibus omnium & singulorum utilitatis causa imbutum. Bodinus de Repb. L. I. Familiarum rerumq; inter ipsas communium summa potestate ac ratione moderatam multitudinem. Cui idem est, Kckermannus. Aristoteles verò L. Pol. 3. Rempublicam dicit esse ordinem consistentem in regimine summae potestatis ac Magistratus.

2. Quæ paulò accurasier Speusippi & Bodini : Et nescio qua fronte Bodinus in vestibulo operis sui affirmat : se Reipubl. definitionem ab alijs prætermissam demum attulisse : Cum definitio illa à Bodino allata ipsum non agnoscat authorem, sed multis ante seculis à Speusippo in definitionibus Platonicis totidem verbis esse traditam ostendit Pitcartus comment. in c. vi. l. II. Pol. Ast. ei non immorandū, cùm dudum à viris longè Doctissimis hoc ipsum sit annotatum, sed Aristotelem eò melius rem tetigisse ostendendum. Genus Reipublicæ illi multitudinem ponunt ; Quæ licet materia Reipubl. quodammodo competat, Reipubl. tamen, quatenus forma civitatis est, genus esse nequit, quippe quod ab ipsa ejus essentia pertinet, & à forma, quam Respubl. civitati superaddit. Arnis. in Doctr. Pol. L. I. c. 7. Illa verò est Τάξις, quia per Rempubl. cives in ordinem coguntur, cum multitudo sine ordine confusiones pariat, & felici concordique vitae obsistat. Quia autem ordo refertur ad unum primum, sic in Reipubl. ordine caput ac principium est summa potestas, quæ cœtera omnia sibi subordinat. Et hoc est vinculum per quod Respubl. cohæret, Spiritus fatalis quem tot millia trahunt : Nihil enim per se futurum, quam onus & præda, si mens illa Imperij Subtrahatur. Hæc cum perpendimus, simul incitamenta ad congressus, & ita Origines Rerumpubl: agnoscamus. De quibus tamen diversimodè jactant. Bodinus omnibus violenta ascribit initia. Alij Imperia merè Juris positivi esse assertunt. Vitruvius persuadere nobis conatur, homines prodigo atq; miraculo quodam convenisse, cum nempè primò ignem conspexerint. Horatius, homines beneficio Musices convenisse putat. Alii dicunt multos initio homines ferarum instar incoluisse nemora, sine ullo Imperio & ordine. Theologi nonnulli Civitatum originem scelus faciunt. Cainus namque commisso fratricidio Hanochiam urbem ab Hanocco filio dictam condidit, ut se



ut se homicida à talione defenderet, & prædator Latrocinia tutò 5.  
deponeret. Ut verius tamen, si non clarius, rem aperiam, Ori-  
ginem Imperiorum, secundum D.D. multorum sententiam, aliam  
Mediatam aliam immediatam pono. Immediata est, cum certa  
aliqua gens, aut cœtus hominum primum in unum corpus cer-  
tasque Leges, aut formam regiminis coit. Mediata est, cum ex  
pluribus Imperiis jam ante constitutis ac fundatis novum Imperi-  
um & nova Respubl: oritur. Boxhorn. P. L. I. c. 2. bené itidem Ori-  
ginem Imperiorum distinxit. 1. In eam quæ est ex jure naturæ. 2.  
quæ ex jure gentium. 3. Quæ ex jure Positivo.

Talis autem primæva origo non nudis fundamentis Philoso-  
phorum supra memoratorum eorumque conjecturis relinquenda,  
sed insuper Fide historica stabilienda. Not. I. Primam Originem  
à Deo esse, & à Divina ortum esse Providentia, Instinctumque co-  
habitandi & propagandi genus humanum vī Civilis confociatio-  
nis. Adeoque rectè censuerunt D.D. in Statu integratatis futuras  
fuisse Politias.

Not. 2. Quænam Imperii forma ante Diluvium atque Nim-  
rodum viguerit, in incerto est, nisi quod constet vim Imperii pe-  
nes ipsum Numen ob frequentia Oracula fuisse, Patriarchis ad-  
ministrationem excentibus.

Not. 3. Quod post Diluvium sub Noacho velut novo humani  
generis conditore novum Imperium surrexerit. Gen. c. 9. Atque  
cum crescentibus familiis locus paucioribus initio accommodus,  
deinceps non sufficeret, multi Principatus, Dynastiae &c. surre-  
xerunt.

N. 4. Quosdam Imperii cupidine adactos, bello aliquos petiisse  
atque armis subjugasse. Præcipue Nimrodus, quem plerique  
Belum Nini Patrem fuisse censem. Atque hinc constat violen-  
tam non fuisse omnium imperiorum originem, quia ante tempora  
Nimrodi fundamenta regiminis iacta fuere. Deinde Juris merè  
positivi non esse Imperia omnia, Quia ex communi rationis usu  
ortum quasi commune orbis Imperium & gentium Respubl: absq;  
ullo certi loci respectu. Tum etiam ferarum instar non vixisse ho-  
mines: alioquin caderet, civile animal hominem esse. Neque  
aliter sylvas incoluerunt homines quam scelerum conscientia, pœ-

narum metu, fuga Tyrannidis ad solitudinem confugentes, numerosaque ibi sobole producta, successu temporis ita creverunt, ut integræ gentes latrociniis viverent: Interim absque Rege & legge vixisse protinus, nemo ut puto affirmabit. Constat de Germanis qui tuguriolis & plaustris hinc & inde commorantes civilem  
7 tamen societatem coluerint. Mediata Imperiorum origo est, & nascitur ex causis magis Politicis & Specialibus, diciturque in duplice esse differentia, vel enim perdurant Imperia cœteris accidentib⁹ seu, ut loquimur, Incorporatis: Vel tolluntur, vel intereunt. Exempla sunt si magna multitudo relictis patriis oris novas sedes quærat, cum primis Seditionis tempestate, ubi sæpe hominū colluvies unise associans novā Rempubl: condit. Sed hæc omnia magis specialia, ideoque ex historicis pragmaticisque scriptoribus pertenda. Hæcque de Origine. Diversitatem formarum quid pariat adhuc sub Judice. Naturæ atque loco plerumque inscribitur. Scimus enim Gentes alias esse iracundas, alias audaces, quasdam timidas. Ita quis nescit Hispanos patientes, Gallos Impatientes, illos lertos, hos præcipites? Bod. rem illustratus *Lib. 5. de Rep.* Exemplum ex Plutarcho ab Athenis petitum affert: Ubi, qui in Astu editorem urbis locum accolueret, popularem statum; qui regionem urbis humiliorem, Oligarchiam cupierunt: qui Piræum, potiorem duxerunt plebis & optimatum temperationem. Simile datur in Helvetiis. Quorum, qui montes accolunt, coeteris inventi sunt ferociores & bellicosiores, & statu magis populatiæ licentia fruuntur. Cœteri verò tractabiliores sunt, magisque Aristocratiam probant, ac licentiam indomitam agrestium hominum feritati congruentem arctioribus quibusdam legibus constringunt. Hujus rationem præprimis habeat is qui Rempubl. fundare, & fundatam servare velit. *Bod. de R. & Arist.* Alexandrum admonuit, ut Græcos paterna pietate in officio retineret, barbaros verò Majestate dominandi. Non igitur pro ludibrio hæc habenda ratio. Discent in posterum cautius Belgarum defectione piscari Hispani. Naturam enim Populi Politicus exploret, secundum eamque leges ferat. Sicuti non Status est informandus secundum Leges, sed Leges secundum Statum, ita leges naturæ non natura legibus adæquanda. Testimonio nobis sit Henricus tertius

tertius Galliæ Rex, ille regnante in Gallia Fratre Carolo ix, in Regem Poloniæ erat electus atque coronatus, sed cum mores Polonorum suis dissimiles nec perferre nec suis adæquare posset, domum se recipiebat: Poloniæ enim Regis Potestas nimis est astricta, contra Rex Galliæ absolutè regnat. De hodiernâ administratione loquor, multum & ibi olim valuere Comitia, deinde Pares, sed crescente Regis potentia, decrescebant Pares, ut quod Papa Clemens iv. de decollato Legitimo regni Neapolitanî herede Conrado iv. in publico Neapolitanô foto, MORS CONRADI VITA CAROLI, MORS CAROLI VITA CONRADI, idem ferè dici de Paribus Galliæ possit, INCREMENTUM REGIS, DECREMENTUM PARIUM, INCREMENTUM PARIUM, DECREMENTUM REGIS. Quid Græciam ab Imperio Romano avulsit, quam quod Imperatores latini & Franci illorum moribus se non accommodare vel nequierint vel noluerint. Quæ deinde ab ipso Carolo Magno & arte & Marte frustrâ tentata iterum conjungi: Ubi igitur armis parta retinere periculum est, ibi tutius erit simulare atque manus dare. Ita Provinciæ Democratiam affectanti io. magis aliquid indulgendum est, & Magistratus actiones suas ita dirigat, ut speciem aliquam libertatis Populi præse ferant; Mentionemq; sæpe faciat libertatis ac legum fundamentalium, seq; eas semper salvas velle. Natura itaque ut & Ingenium Populi consuendum erit. Cum autem naturam mortalium tam perversam noverimus, ut magis ex aspectu quam re ipsa judicent, & ita sæpius aberrant in eligendis bonis, non pravis semper libidinibus sequendū, sed quod rationi convenientissimum perpendendum. Præsertim in eligendo statu Reipubl: ac Magistratus. Cujus diversitatem quidam II. ex opibus æstimarunt. Ast errant & impingunt in Principia cognitionis Politices: Essentia enim Reipubl. non consistit in paupertate & in divitiis sed in personarum numero, quæ ad summam potestatem admittuntur: Et quia Respubl. est regimen summae Potestatis, hæc autem in personis requiescit, variatur Respubl. si personarum numerus variat: Opes vero nullam in communicatione Majestatis important diversitatem. Ut etiam ad Magistratus officia nihil attinent: Legimus enim veteribus Historicis & aliis Autoribus quosdam de industria voluisse pauperes esse. Attilius semina spargebat, cum ad Dictaturam Populi Romani suscipiendam accerse-



accerseretur. Menenius Agrippa quem Senatus & Plebs pacis inter-  
se facienda Autorem legerant ita pecuniae inops decessit, ut sepul-  
turae honore caruerit. Piaſtus ab aratro ad Poloniam regendam  
vocatus. Ridiculum ita videmus, ex Opibus diversitatem Rei-  
publ. petere velle. Qui autem distincte Reipubl: species cognos-  
cere, nec prolapſas cum veris exemplo Polyb. l.6. confundere velit,  
12. ei tres Primi status ob oculos ponendi. Vel enim Unus, vel mi-  
nor, aut Major pars Civium summæ potestati præest : Quos Tac-  
itus l.3. Histor. his verbis, Cunctas nationes aut Populus, aut Primo-  
res, aut singuli regunt, expressit. Sine ulla harum formarum non  
cœtus aliquis socialis reperitur, nec in eo alia præter istas : Misen-  
tur quidem inter se & remittuntur, aut intenduntur : Sed sic ut præ-  
ponderet semper aliqua pars à qua Jure ei nomen. Quæ autem ex  
his optima? Diu hoc inlite Lips. l.2. Pol. c.2. difficile nec certum  
de iisdatur judicium. Ipse Tacitus Lib. 3. Hist. solvit & non solvit;  
Dilecta inquit ex his constitutæ Reipubl. forma facilis dari quam  
evenire; aut si eveniat, non diuturna esse potest. Consultum itaq;  
erit easdem in specie considerare, initiumq; à Democratia quam-  
plerique mortalium aspirant & optant facere.

## CAPUT. 2. De Democratia.

**D**emocratia sumnum Reipubl. jus penes Populum aut majorem  
partem Civium constitutum habet. Unde huic formæ, Reipubl:  
nomen magis propriè convenire existimant. Aristot. L.4. Pol. c.3.  
eam pro corrupta & minus recta ponit, & ita Politia eam opponit. Cum  
autem in l.1. Rhet. c.8. ita usurpari videatur, ut utramque tam re-  
ctam, quam corruptam sub se complectatur & à Politicis pro recta,  
in significatione sc: accipiatur, retinere volui.

N. I. Hanc Reipubl. formam serius progressu seculorum  
natam judicat Buxhorn. In Instit: : Primò enim vix alicujus gentis  
fuisse, sed amore libertatis, aliis ipsis formis, alibi quasi successisse.  
Unde tanto studio eam aspirare videmus plerosque. Quid enim  
optabilius est quam sublatu tyrannidis metu, in libertatem, uia-  
cuique à natura datam restituī? item quid laudabilior quam urjus  
omnibus

omnibus æquabile constituatur? Imò quid sublato potentiorum  
Dominatu suavitate civili jucundius, & naturæ magis consentaneum optare possumus? *Bod. L.6. de Republ.* Ast dulce bellum inexpertis. Tyrannidem metuunt & factionibus se exponunt. Libertatem à natura datam unicuique restituere volunt, sed maximè perdunt: Quod si enim naturalis libertas quam, Populares isti tanto perè prædicant, in *Democratia* locum haberet, certè nec legibus ipsis, nec Magistratibus imperandi prohibendique locus relinqueretur; Ast nusquam in *Monarchia*, nusquam in *Aristocracia* tot ac tam multi sunt Magistratus, quot in *Democratia* videmus. Ad licentiam & voluptatem quarum plus conceditur in *Democratico* quam ullo alio statu, respondet *Imperator Constantertius*: Inania lœta voluptas, & commune illud, Deteriores omnes sumus licentia. Inde *Bodinus*. Teterimus optimarum Reipubl. formarum status *Democratia* est & *Boxhorn. Inst. P. I. 2. c. 8.* *Democratiam* detrimentum publicæ Majestatis vocat. Rationi etiam congruum est. Nam in Populi multitudine minor est & appareat, quanto magis eluet, cum non tantum cum paucioribus, sed cum unotantū communicatur. Verū enim verò ab iis qui de *Republ. scripsere* popularis Status minus laudatur, quam is, in quo ad unum Principem, aut ad Optimates omnia referuntur. Siquidem in *Democratia* non juris sed utilitatis habetur ratio, non æquitas sed libido spectatur: Generosi ac Divites vexantur, periculoseq; vivunt. Ita Helvetij ante aliquot annos ejecere Nobilitatem. in *Chr. Helv.* Et Argentinenses legem tulerunt, ne quis summos in civitate Magistratus adipisceretur, nisi ex Cerdonibus, coriariis, aut id genus fordidis opificiis gentem suā accersere queat. *Bodinus. L.6.c.4.secundo* in Populari Imperio mali dominantur & rerum imperiti judicant, unde magna confusio & rerum perturbatio, juxta sententiam Darij. Hæc sunt quæ movebant Megabyssum in *Oratione*, quæ in *Herodoto*, *Democratiam* ex tribus bonis Rerumpt, formis perniciosissimam dicere; Aliosque statuere *Democratiam* ipso Tyrannide pejorem. Argumentantur tali modo: Si Tyrannis propterea est mala, quia commodum privatum respicitur, sequitur eam Rempubl. pejorem esse, ubi adhuc magis privatum commodum curatur, quam-

in Tyrannide. Atqui subsumitur de Democratia, ubi magis eratur commodum privatum quam in Tyrannide. In Tyrannide enim unius hominis spectatur, in Democratia singulorum. Sane in Democratia ferè spes non est fore ut reconvalescat Reipubl. In tyrannide spes est sita in obitu Tyranni. Tertio Notoriū est, in Democratia faciliores esse seditiones: eamque proximam esse Statui Anarchico h. e. Ruinæ Reipubl. Testimonia superfluunt Atheniensium, Syracusanorum, Ephesiorum, ut & Carthaginensium. Quarto novimus magnum Reipubl. munimentum esse consilia haberi secreta, ob quam causam Romæ abrogatus est mos admittendi in Senatum pueros; mulieresque in æternum seclusit senatus. Non omittendum exemplum, quod occurrit, Q. Metelli Coss. qui cum adversus Celtiberos bellum gereret, & subinde alias atque alias regiones peteret; Interim omnibus ignota esset causa subitæ ejus atque incertæ fluctuationis, interrogatus ab amississimo quodam, quid ita sparsum atque incertum militiæ genus sequeretur? Absiste, inquit illud querere, nam si hujus consilii mei interiorem funicam conscientiam esse sensero, continuo eam cremeri jubebo. Illustrissimus Auriacus videbatur Flandros aggressurus, invadit Brabantos, suum peculium Bredam sibi reddens. Videamus itaque quantum intersit consilia haberi secreta. Ast in Democratia vix possunt consilia tegi, quia multis communicantur: Quæ verò à multis sciuntur, ab aliquibus saltem evulgantur.

N. 3. Dixi superius in Definitione Democratæ, quod vel penes Populum, vel majorem partem Civium summum Jus constitutum habeat. Exinde duas habere species hanc Reipubl. formam. elucet. Aut enim multitudini consultationes & Judicia (nullo existente Senatu) aut verò Magistratum diligendorum corrigendorumque tributa solummodo est potestas: Ubi Populus retinet quidem summum jus, sed per Magistratus à se constitutos omnia agit; Et ibi Populus nescit se omnia posse, legibusque semetipsum devincit, quod tamen extraordinariam potestatem non tollit. Besold. in Synop. Pol. Prior species, quam liberam Democratiam dicam, omnes secundum numerum censet, & nec generis, virtutis vel divitiarum diversitas, inæqualitatem ibi inducere solet. Huic unica proposita est libertas & Isonomia seu æqualitas Juris, indeque ibi frequen-

frequentantur Agrariæ leges, & Magistratus non tam utilitati com-  
muni, quam placere multitudini studet. Hujus speciei exemplum  
olim præbuit Roma, ubi Populus summam habebat potestatem,  
& nullus ferè Civis morte puniebatur: ac licet Senatus sua autho-  
ritate popularem licentiam haud raro temperaret, multa tamen  
peragebat Populus nimis licenter. Respubl. Atheniensis magis  
adhuc Popularis fuit. Quorum conciones & concilia Anacharsis  
sine risu spectare non potuit; rerum enim agendarum summam  
populo ponere, furiosos verò quid agendum esset decernere con-  
sueisse. Idem Status nunc apud Helveticas Civitates, & apud  
Rhætos, qui tamen non sua virtute, sed ope aliena, qui ad id odio  
Hispanorum fuerunt instigati, eum recuperarunt.

Posteriorem speciem, quam adstrictam appello & priori præ-  
fero, Genuenses amplectuntur, ut & Imperii Romano Germanici  
Civitates immediatae. Ejus quoque illustre exemplum Respublica  
Belgarum unitorum præbet: Ubi ab Ordinibus omnibus Deputatorū  
consensu, qui Hagæ Comitis congregati sunt, cuncta administran-  
tur; iisque ut plurimum post triennium Domum revocantur, & alii  
submittuntur. Ex quo patescit, illas Provincias non foedere con-  
junctas, sed ita unitas esse, ut constituant Rempublicam unam.

N. 4. Ut cunque erit; Verum tamen est, tali modo liber-  
tatem querere, esse aureo homo piscari; Cujus abrupti jacturam  
nulla compensare potest piscatura. Cum J. Lipsio libertatem ma-  
ximam dico vivere sub Principe magno. Incommoda cœtera  
quaç premunt Democratiam narrare omnia, nec volo, nec possum.  
Satius sit, ab omnis ævi sapientibus judicatum esse, Omnia, for-  
marum gerundæ Reipublicæ ineptissimam esse illam, quam Demo-  
cratiam appellamus Bochorn: in Instit. Pol. l.2. c.8. Quid magis in-  
commodum? quam ad pleraque officia uti Vicariis Magistratibus,  
qui tantam non habituri Reipubl: curam quam Princeps: quippe,  
hic curat Rempublicam ut suam, illi, ut alienam. Deinde æquali-  
tas, quaç in Democratia spectatur, requirit omnes admitti, & sic se-  
pissimè minus idonei officiis præponuntur; & licet idonei fuerint,  
coguntur tamen iis se abdicare priusquam rationem benè admini-  
strandi didicerint, ut cœteris locum cedant. Accedit & illud,  
quod ubi consulenda est multitudo Populi, nihil exemplo, nihil

pro necessitate & occasione rerum, vix quicquam pro Publica Ma-  
testate discerni possit. De Votorum corruptionibus non dicam.  
Plato, Democratiam vocat nundinas venales. Quod testatur  
Roma, ubi omnia esse venalia, Jugurtha dixit. Magnus ille Bias  
sapienti suâ, cum à populari homine interpellatus esset, ut statum  
in Civitate popularem stabiliret, responsione, fac, inquit, tuam  
familiam popularem, concludat: E Democratia quæ omnium  
bonorum, fortunarum, ac Imperij æquationem proponit, Civita-  
tum omnium interitum sequi, cum ne privata quidem familia re-  
cte instituatur, nisi uni summam Imperium detur.

## CAPUT 3.

### Aristocratia.

N.1. Perspecta Democratia ad Aristocratiam, quam Græcorum  
sapientes Poliarchiam appellant transgredior. In qua  
Primores imperant. Tacit. l. 3. Histor. Arist. L. P. 9. c. 7. Ubi Opti-  
mi regunt. Cognomentum suum nanciscitur à virtute; Spectatur  
verò hic ejusmodi virtus, quæ non tantum bonum virum bonum  
civem, sed etiam bonum Magistratum facit.

N.2. Veluti autem Regnum diversimodè accipitur: Ita nec Ari-  
stocracia uno tantum modo dicitur. Primo enim Aristocracia di-  
citur, ubi imperantes partim divitarum partim virtutis ratione  
assumuntur. Secundo, ubi simul ad Divitias, plebem & virtutes  
respectus habetur. Tertio, ubi partim ad plebem, partim ad virtu-  
tem respicitur. Cell. L. 2. Pol. c. 4. Verum quidem, Divitias tantum  
accidens, & fragile bonum esse; ita tamen sese habent, ut ad au-  
gendum publicum splendorem, externam pompam, conciliandæ  
authoritatis gratia, quæ fulcrum rerum gerendarum, maximopere  
faciant: licet solæ divitiæ solaque nobilitas in se nihil ad cordatam  
Reipubl. administrationem tribuant: Ubi verò absq; respectu ge-  
neris & fortunæ Imperium defertur, laudatissima dicitur Aristo-  
cratia: Non enim cives tantum optimè in suam Rempubl. sunt a-  
nimati, ubi virtuti locus, sed magis universi ad virtutis cultum  
acrius animantur.

N.3. Est autem proprie Aristocratia secundum Aristotelem  
Respu-

Respublica ubi pauci , plures tamen uno, (indivism ) summam ha-  
bent potestatem Ad omnem itaq; Aristocratiam requiritur, ut uno  
plures imperent ; Sicuti in Regno unus tantum Imperat ; ita ubi  
cunque debet esse Aristocratia ibi & uno plures debent esse Impe-  
rantes. Et hoc est, per quod Aristocratia à regno discernitur. Porro  
requiritur Paucitas. Pauci tamen sint , dicit. Differentiae ratio inter  
Aristocratiam & Democratiam constituitur, quod itidem à numero  
Imperantū denominatur, Scil. quod imperantes pauci sint in statu  
Aristocratico. Verum cum idem in Democracy contingere queat,  
perpetuum hoc non est. Ut autem rem clariorē reddam, sciendum  
erit, in Democracy pauciores et si præficiantur, nihilominus ta-  
men diversa erit ratio : In Democracy enim hi pauciores omnium  
nomine ; In Aristocratia verò pauci suo nomine regunt. Demo-  
cratici gestorum suorum rationem Populo reddere tenentur. Ari-  
stocratici aliorum securi , sibi soli pares.

N. 4. In hoc statu quamvis minus in sanæ Populi voluptati,  
nec , corruptibili aut abominandæ plebis licentiae indulgeatur,  
tamen eum abnuo : Pacis enim interest, potestatem deponi in u-  
num Tacit. Lib. bist. I. In Paucorum, etiam bonorum , Imperio  
sunt omnia plena simultatibus & odiis mutuis : Unde cædes & se-  
ditiones. Principatus à bellis dissidiisque liber est. Arnif. L. P. I.  
c. ei. Probat ratio , divisionemducere ad corruptionem , contra-  
conservari & consistere omnia in Unitate. Voluntates enim  
hominum variæ sunt. L. 4. ff. ad Sc. Trebell. & velle suum cuiq; est,  
nec voto vivitur uno. Arnif. d. L. Et notandum , quod in pauco-  
rum Statu pars minor Civium, in populari major imperat ; In co-  
tamen convenient, quod qui summam imperandi jus habent, om-  
nibus quidem sigillatim imperare possunt , collectim non pos-  
sunt. Igitur Monarchia eò præstabilior ac illustrior est, quod unus  
universis & singulis imperandi jus habet. quod animadversione  
singulari dignum videtur Bodino L.2. de Repub. c.7. Saluti publicæ  
interest, Majestatem Reipubl. non oppressam, sed semper salvam  
haberi : Jam verò si multis communicatur tanto minus innotescit,  
quantó magis eluet , cum uno tantum communicatur. Et qui  
Paucos Aristocraticam illam Majestatem deferunt, ( Ubi quidam  
sunt qui hujus status conservationem in paucitate probare volunt )

In Scyllam incident. Cum in paucitate potentia cuiuslibet magis crescat, per eamque libido regnandi, undè odia, deinde bella, & excutere unus alium maximè conatur. Exemplo sint Julius Cæsar & Bibulus, Augustus Lepidus & Antonius : *De quibus Dion:* Difficile erat tres aut duos vivos æquali dignitate sublimes, cum bello tantas res adepti essent, concordiam servare : Omnis enim Potestas summa impatiens est consortis.

N. 5. Non multo minoribus factionibus Aristocratia extposita, quam Democratia est, si experientia pugnandum. Veterem adduco Romam, cujus discordantis Patriæ non aliud remedium fuit, quam ut ab uno regeretur, Tacit. in Annal. Simile dedit Genua, Anno CID. IDXLVII. Ubi in Aurias gravis factus impetus, Joanne Aufia cœso. Conjunctionis Princeps Johannes Ludovicus Fliscus fuit ; hic nisi in ipso tumultu, cum occupatis Genuæ navalibus de trireme in triremem noctu transiliret, in mare delapsus demersus fuisset Aurias omnes expulisset, videatur Thuanus ad Anno CID IDXLVII. Similia inter Stroxzos & Medicæos.

N. 6. Ast unius mens vix tantæ molis capax, & plures in consiliis plus possunt uno. Respondeo, Esse quidem ad sustinenda negotia validiores, sed etiam ad factiones & tumultus excitandos faciliores, & per consequens Reipubl : detrimento propiores. In consiliis quid valeant, expressit *Tacitus in Annal.* Illud ex plebe vitium, quod non simul; nec jussi conveniunt sed multi dies cunctatione coëuntium absumuntur. Nec in commune consulunt, sed per Principes factionibus & Studiis trahuntur. Inde bene monuit Spreng. in Syn. f. P. Aristocratiā quidem libertati magis convenire, ast plurimas turbas excitare, quibus aliquando Respabl. non tantum imminuitur, verum etiam aliquoties tota absorbetur. Quemadmodum enim plures naucleri unum clavum non bene gubernant, siquidem alter huc, alter illuc sua vela dirigit, inde sæpè evenit, ut tota navis una cum suis naucleris miserè fluctibus obruatur, sic etiam in Republ. Aristocratica sæpiissimè contingit. Experti id olim Crucigeri in Borussia. Præstat igitur Rempublicam publicè esse felicem, tutam & divitem, quam singulos & privatos : Nam illa felicis, & hi quoque servantur; his solum beatis, illa misera est, & tandem ipsa

ipſi evertuntur. Huc pertinet, quod reſcripsit Imperator Antonius : Expedit Reipubl. ne ſua re quis male utatur, quia ſingulorum civium facultates, copiæ & divitiæ ſunt Civitatis. Mittas igitur Aristocratiam, ne mittas Rempublicam.

## CAPUT 4.

### De Unius Imperio

N. 1. Quæ me Unius Imperium omnibus præferre, movent, præcedentia jam dixerunt. Quod nimis Civitatem, cuius universus status in columis est, majorem utilitatem privatis hominibus omnibus offerre existimem, quam si ſingulorum civium felicitas privatim floreat, ipsa verò publica jaceat afflita : Qui enim privatim feliciter vivit, ſi patria turbetur, ipsum quoque ſimil perire necesse eſt. Qui verò in Republ. florente, non adeò ſecundis utitur rebus is tamen in Republ. adhuc conservatur. Bozborn. in Disquis. Polit.

Publica perdendo, tua nequicquam ſerves, Inquit imperator Justinianus, in L. 1. Sub fin. C. de cad. toll. Quod communiter omnibus prodeſt, hoc rei privatæ noſtræq; utilitati præferendum eſſe censemus. Camer. in Medit. biftor. C. 3. c. 49. Curetur modo, ut plena ſint horrea publica, nihil quicquam privati cuidam defutum. Neque enim maligna rerum diſtributio, neque inops, neq; mendicus ibi quicquam. Et cum nemo quicquam habeat, omnes tamen divites ſunt. Nam quid diutius eſſe potest, quam adempta prorsus omni ſoliditudine, leto ac tranquillo anime vivere ? Non de ſuo victu trepidum, non uxoris querula flagitatione vexatum eſſe, nec paupertatis filij metuentem. Nam in hoc ſtatū aepotum, pronepotum, & per quam longam posterorum ſuorum ſeriem generosi præſumunt victū eſſe & felicitatis ſecuram.

N. 2. Sub Unius Imperio magis florere Rempubl. ex Stephano Junio Bruto Lib. 7. de bello Gallie. patet'; hic enim cum prolixe aliquot foliis diſtincta officia & proprietates Regum & Tyrannorum recenfuſſet, tandem ita concludit : In ſumma, Rex Studet publicæ utilitati. Rex curat Rempublicam ut ſuam, Plures ut alienam. Et ſanè cum, (ut ſunt homines) in illis ſtatibus nusquam reperit

reperiuntqueat, qui omnibus in rebus utilitatem publicam spectet, inde nec diu consistere possunt, quia vix ulla tenuis ejus ratio habetur? At ubi tamen utilitas publica prævalet, Rex & regnum. ibi Et plurimum Imperium maximum illud malum premit, quod (quamvis negotiis sustinendis plures validiores) arduum, semper eodem loci potentiam & concordiam esse. *Tacit l. iv. Ann.* contra uno Imperante pacatissimum est Imperium, quia ex Unius sententia omnia cedunt, ceterisque spes Dominatiocis præciditur.

N. 3. Tria autem maximè Unius imperium hominibus tam odiosum reddunt. 1. ingenita omnibus cupido libertatis & Juris cum ceteris civibus æqualis. 2. Ipsa Potentia, cui facile invident alii. 3. Denique ipsorum imperantium ex præsentibus bonis insolentia in alios & præsertim subditorum. Ad primum satius responsum, puto in præcedentibus, quod libertatis parum præter nomen assequantur, & omnes æquales detimento Reipublicæ sint, cum Vulgus mobile sit, & facile probet, quod antea damnaverat. secundū oritur ex innata invidia, & detestanda imaginatione, quod quilibet jure sibi omniam deberi existimet. Ad malitiā tegendam præferunt Nomen Monarchiæ seu Regni auditu horibile esse: Cum tamen penes unum summam Reipubl: potestatem esse, conducibile omnium maximè. *Daneus in Aphor. Polit.* Facilius enim unus quispiam vir bonus, quam multi. Multos semper Probos, consontaneum vix est. Ac si quis etiam vitiolus solus imperium teneat, tamen pluribus sui similibus anteferendus venit. Cujus rei fidem facere possunt res gestæ Græcorum & Romanorum, Præstantiora longe & plura sub Regibus, quam sub populari Imperio, Urbes ac privati cives beneficia adepti fuere, & adversa minus in Dominationum unius, quam in plebeja cadunt imperia.

N. 4. Si ab Origine progressum facerem, quis non noverit, Unius Imperium esse antiquissimum testantibus *Arist. Salust. in Beol. Catal. Cic. l. 3. Justin. L. 1. Hist.* Quamvis non vetustate, sed ratione & usu pugnandum, cum sciamus recentiora sæpiissimè præcellere vetustissimis. *Epaminondas* Unicam Civitatis defendendæ viam esse dixit, si unanimi consensu & consilio omnia tractant cives. *Polyp. L. 4.* Quis igitur non videt Unius præferendum? Ubi unus Rex à se non dissentit, ceterosque si dissenserint ad concordiam

cordiam redigere potest, dum in tērīm dissensionibus omnia turbari in multorum imperiis necessā est, consentit Tacit lib. i. Annal. ubi unum imperij corpus, unius animo regendum, putat. Videmus bestias utpote apes sequi suum Regem; Videmus unum Patrem familias suis imperare Domesticis: sic corpus una regitur anima, Respubl. verò assimilatur corpori. E, rectius regitur ab uno quam à multis. Spreng. Ex. Sy. f. P.

N. 6. Unius autem imperium diversas suas habet species, diversas dico, quia Monarcha imperat, Rex regit, Dominus verò dominatur. Ultimam rejicio, & secundam priori præfero, cum mitius sit regere quam imperare. Monarcha pro lubitu imperat, Rex secundum leges regit. Monarchas Mars, Reges Deus dedit. Ex Iove sunt Reges, clamat Callimachus. Rex Deus quispiam humanus est, Plato. Regnum res inter Deos hominesq; pulcherrima. Liv. l. 26.

N. 7. Est autem regnum, uti ab Aristot. definitum, Respublica ubi unus summam habet potestatem, & primario respicit ad communem utilitatem. Summa potestas maximè in Rege requiritur, ut quicquid boni ei placeat, legis habeat vigorem, vita necisque jus maximè obtineat. Unde patet Regnum Laconicum impropter tantum dictum fuisse regnum. Quoniam Reges jus vitae & necis non nisi cum bellum gererent, obtinebant. Regem enim summa & absoluta Potestas facit: Salust. in Jugur. impunè quidvis facere, id demum est Regem esse. Qui Rex est Regem maximè non habeat, Martialis I: Lips. Is demum Rex qui suum honorem non habet à superiori. Quamobrem Cosmus Mediceus Florentie Dux Regis titulum deponere coactus à Maximil: secundo; Quia Florentinorum ab Imperij Romani Majestate dependet. Et ita legimus, Paulum Æmiliū Persei literas, quibus se jam prostrata & regni spē amissa, Regem appellaverat rejecisse, nec reserare voluisse, nisi prius Regiā dignitate abstineret, quam in eum tantum convenire dixit, qui summam potestatem haberet, nullius Principis inferiorem. Sic Alexandri Duces sibi ipsis Diademata imposuerunt: Et Premis laus cum ad summam Potestatem regni Polonię pervenisset, Pontificis aut Imperatoris rescriptum ulterius non expectavit. Porrò requiritur ut Rex respiciat ad communem utilitatem, g. Nam qui rectè faciet, non qui Dominabitur, erit Rex; Auson. In-

C

Monesel.

*Monosol.* Inde definit Arnis. Regnum, quo dicit *Monarchia in qua salus subditorum maximè procuratur*: Hoc autem sit, quando Rex subditis sua cuique relinquens bona propria, secundum Dei, naturæ, suasque ex æquo & justo conditas leges imperat. Ii in Reges primum electi consensu Populi, qui in alios benefici; velut qui eos ab incursu feratum, vel ab injuria aliorum hominum defendere vi corporis aut prudentia animi solebant ac poterant *Polybius*. Moderatori Reipublicæ beata civium vita proposita est, ut ea opibus firma, copijs locuples, gloria ampla; virtute honesta sit. Cic, de Rep. Verum enim verò hac una in re maximè abit à Tyranno, quod Tyrannus suum ipsius commodum spectat & quærit, at Rex subditorum: Tyrannus naturæ leges proculat, Rex amplectitur: Hic religionem, justitiam ac fidem colit, Ille impietate, injustitia & perjurio delectatur, immo omnia sua Studia ad Reipubl. detrimentum confert; Contra Rex omnia sua studia ad Reipubl. salutem. Unde ab Homero Pastor Populorum dicitur, cuius est tondere Populum, non deglubere. Abominandum est symbolum Caligulae, Utinam Populus unam haberet cervicem. Tu (enim) civem Patremq; geras; tu consule cunctis. Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna. *Claud. ad Honor.* Scias quisquis hoc nomine gaudes, ci- viū non servitutē tibi traditam sed tutelam: nec Rempublicam tuā esse, sed te Reipublicæ *J. Lip. l. 2. Pol. c. 6.* Non eligitur Rex ut se se molliter curet, sed ut per ipsum ii, qui elegerunt, benè beateque agant. *Seneca de clem.* legitimus, Persas Cyrus, qui Medorum Potentiam fregit, Regem appellasse, Cambysesem Dominum, Darium verò Mercatorem: Quia Cyrus Major summa charitate suos amplexus est; Filius imperandi severitate formidabilis fuit: Tertius tributa ac vestigalia prius inaudita à subditis extorsit: Reges enim infirmiorum ac imbecilliorum adversus robustiores ac violentos tuendorum gratia instituti sunt Vid. *Herodot. De Deince in Regem Medorum electo.* Hinc Alphonsus Rex Hispaniæ in Symbolo, Pellicanum pectus sibi fodens & sanguine pullos suos alens pinxit, & adscripsit, Pro grege & lege, significans has esse duas justas bellorum causas, depulsionem latrociniorum à cordibus, animis & cervicibus subditorum, & depulsionem blasphemiarum. Potestas Regi summa datur, ut Populi commodum, non suam voluptatem, curet.

curet. Licet quidem quod lubet; Sed dum omnia possit, sola credat licere laudanda. Malus ille qui ex magna fortuna licentiam tantum usurpat. Tacit. L. 4. b. 5. Soluti sumus legibus & tamen secundum leges vivimus Antoninus & Severus. Digna vox est Majestate regnantis se legibus alligatam profiteri. Quo alludit illud Günth. L. 8. Ligur.

— Nam nihil ut fatear magis esse decorum,

Aut Regale puto, quam legis iure solutum,

Spontè tamen legi lese supponere Regem.

8. Cum autem talis Severus rara avis interra: Natura enim humana eo præsertim laborat vitio, ut mores plerūmq; cum honoribus immutet. Exempla superfluunt de Tiberio, Heraclio Imperatore ultimo à milite electo & multis aliis. Unde Tacit. L. Hist. 15. Initia Magistratus plerumque meliora, at finis inclinat. Igitur J. Lips. l. 2. Pol. c. 10. non male putat, Principem legibus illigandum esse, ne quidvis ei liceat; Intelligit tamen hoc de justitia Principis, quam definit, *Virtutem ius & aquum in se ing;* alijs firmiter servantem. Quæ obstrictio Regiam Potestatem non minuit, quia sceptorum vis tota perit, si perdere justa incipit Lucan. L. 8. Sed potius firmat. *Jus & æquitas vincula civitatum.* Cicero in Paradox. Et facit verè Regnum; Remota enim Justitia, qui sunt regnat, nisi magna latrocinia. Nec imminuit Potestatem regiam, si ex ratione Rex à subditis Regnum agnoscere dicatur. Ut enim Cæsar nulla inconvenientia Galliarum Regis valallus esse posset, vid. Herm. Vult. L. 1. feud. c. 4. n. 4. Hotom. Illustr. q. 35. Buxtorf. in A. B. 77. lit. B. Ita & Regis salva manet Majestas, etsi Regnum à subditis agnosceretur profiteatur. Quis Woldemarum non verum exinde dicat fuisse Regem, quod in literis summo Pontifici transmissis inseruerit, regnum se à subditis habere? Non autem de Potestate regia mihi cœmens est quæ antiquis Saxonum Ictis, qui canonem illum, Rex non habet parem, Limitarunt, in Justitia exhibenda; sed in Justitia suscipienda eum minimū de regno dixerint. Nec uti illud in speculo Saxonico, quod consecratum fuit ante adventum Normannorum: dū canonē hunc; *De factis Regnū non debent nec possunt Justitiari nec privata persona disputare*; ita limitarunt: Veruntamen Rex in Populo superi-

esperiores habet, qui ei frenum ponant. Sed Regi quæque licere honesta & Republicæ utilia, Ad cuius interesse quicquid constituit sanctum sit, h. e. Sacrilegii instar erit de illo disputare: Cum publicum, juxta illud

*Publica privato non cedant commoda lucro.*

omnibus præponi necesse est. Et illuc respicit c. 8. Samuelis lib. 1, nimirum necessitate urgente quæque licere ad salutem publicam suscipere. Non verò luxus & ambitionis gratia: Siquidem eligitur Rex non sui, sed Populi gratia, Ut Justiam unicuique reddat, Populumq; tanquam pater curet. Sin minus, non qui dominabitur, sed qui rectè faciet erit Rex.

## CAPUT. 3.

*de*

### Electione & Successione.

N. 1. Statum Republica Convenientissimum Regnum esse in præcedentibus demonstratum puto. Notoriū est, quod ad illud viaeatur dupli. Vel eligitur Rex, vel succedit. Extra has obliquæ viæ, nec faustæ: Nemo enim unquam Imperium flagitio quæsitus bonis artibus exercuit Tacit. l. i. hist. nec diu exercuit, quia nulla quæsita scelere potentia diurna est, Cnrt. lib. iv. Successionem, Justus Lips. l. 2. P. c. 4. dicit esse cum Princeps è Principe nascitur. Electionem, cum spredo natalium jure, suffragiis designatur, Ultraquæ & Electio & Successio est laudabilis. Quæ verò illarum præferi debeat, celebris olim hodieque est agitata quæstio, neque adhuc satis convenit inter civiles sapientæ Doctores.

N. 2. De Priori Tacit. l. i. hist. Electio optimum quemque invenit. Boxhorn. in Dissert. de Elect. & Suc. Quanto, dicit, virtus perfectior est natura, tanto & Electio præstat Successioni. Quippe Electio secundum & propter virtutes tantum instituitur; Successio verò tantum per naturam Paulus de Iuanicze in Inst. Pol. Electio dilectum facit, & Principi gloriosior est: Callidè Tiberius dabat famæ, ut vocatus, potiusque electus à Republica videretur, quam per uxoriū ambitum & senili adoptione irrepisse. Generari enim ac nasci Regibus fortuitum, nec ultra æstimatur: cooptandi Judicium.

eiūm integrum, & si velis eligere, consensu monstratur. *Tacit. L.i. hist.* Contrā in Successione non qualis optatur, sed qualis offer-  
tur, bonus, malus, aptus, ineptus ad regiam dignitatem admove-  
tur: Unde profecto magnum Reipubl. imminet discrimen. *Box-  
born. ut & Bronchorst in Aphor Polit.* Stultum dicunt, progres-  
sum à bono Parente ad filium facere: Commune, & satis experien-  
ria probatum, *Heroum filii noxae.* Viri enim Magni aut sine libe-  
ris decesse, aut tales habuere, quorum abortus optabilius quam  
partus. Ad hæc Principes qui eliguntur, continuo ad alias atq;  
alias pro libertate subditorum repertas Leges possunt obstringi,  
qui succedunt, non item. Electus accipit Imperium ab eligentibus;  
succedens à Parentibus, unde quis proprium istud habet, neque  
tanta affectione prosequitur subditos. Electo enim amor subdi-  
torum cognitus jam est, ut pote à quibus volentibus est receptus.  
Coeterum infantia Principis sàpe aditum exteris, aut ipsis fortè tu-  
toribus aditum præbet ad imperium vi invadendum. *Væ regno,*  
*cujus Rex puer est.* Captatur mors Reges ab agnatis, qui cum  
spem successionis secum quotidiè in fibris ferant, vix expectare  
possunt fata imperantis.

N.3. Pro Successione militant; Opportunos magnis conatibus  
transitus rerum. Minori discrimine sumi Principem quam quæ-  
ri. Petere alio ex Orbe Regem externis moribus infectum incon-  
sultum esse, in Primo capite demonstravi. Interregnum pericu-  
sum esse docuit magnum interregnum Imperij Romano Germa-  
nici. Ast per Successionem continuari Imperium: Cohiberi pra-  
was aliorum spes, si Successor non sit in incerto. *Tacit. L.i. hist. Hæ-*  
*cum demonstraret Gustavus Erichonius Rex Sueciæ, primus fami-  
liae Trollorum ab Ordinibus impetravit, ut Suecia ex electivo regno  
fieret Hæreditarium. Et charitas & amor utrinque major ubi for-  
tuna regnandi in una Stirpe consenuit. Regum præteriorum re-  
verentia adeo vivit in posteris, ut vel cunæ puerorum in purpuram  
natorum tacita confessione sortis nostræ nos tangant, nec iis pa-  
trire indignemur, quos priusquam lucem subeant, scimus naſci u-  
mperent. *Barcl. Arg. L.I.* Facilius obtemperat Populus Domino,  
cui jam obtemperare consuevit, filiis q.s. patrem repræsentanti-  
bus, quam ei, qui fortè ex vili conditione ad Regium fastigium eve-  
hitur.*

hitur. Egregere eum superiorem, quem antea habuerat patrem  
aut inferiorem. Accedit & illud Scholastici: Successionem esse  
modum naturalem, Electionem artificialem, Sed inquis, naturalia non  
semper præferuntur artificialibus: Elaborat enim ars opus suum  
sapè accuratius, quam natura: Imo deficit interdum natura tam  
in naturalibus quam moralibus. Resp. Successio ita est naturalis,  
ut simul sit artificialis, vel artificiali modo non repugnet.

N. 4. Nonnulli inter successiones discrimen interponunt, qua-  
rum alias simplices, alias compositas dicunt. Simplex est, quæ sine  
ulla suffragatione populi, & civitatis consensu est; & hanc in tyran-  
nide exerceri statuunt. Sed à ratione planè abludit, quod Succe-  
sio illa simplex Tyrannidem secum trahat. Principes enim, no-  
n Tyranni dicendi sunt, qui ejusmodi ratione ad imperium extollun-  
tur. Composita laudatur omni Electione è melior, quò certior;  
Eò tutior, quo multorum sapientia & consilio sanctior redditur.  
Præter jus enim naturale sanguinis, consensum Civitatis, direc-  
tionem legis, juramentum, consilium, aliaque ejusmodi, admittit.  
Ait non dicam, quod absurdum sit Successionem compositam vo-  
care; Quippè vera electio & vera Successio pariter concurrere non  
possunt. Sed quis non videt, omnes illos ritus & circumstantias ni-  
hil aliud esse, quam libertatis Ordinum Regni vanam speciem, lar-  
vam & fucum? An non eandem quoque Successionem, quam fin-  
gunt compositam sequuntur mala, quæ ex simplici oriuntur. Box-  
horn, de Elect. & Succ. Quid ergo conclusi? Plinius in Paneg. judi-  
cat: Imperaturum omnibus eligi deberi ex omnibus. Tacit. l. 4.  
Hist. Cum successione mores non discernantur, Suffragia & exi-  
stimatio reperta, ut imperatori vitam famamque penetrarent. Just.  
Lips. l. 2. P. c. 3. Electionem judicat antiquorem, successionem ta-  
men receptionem, & aspectu aliquo meliorem. Ego ex prioribus  
allatis rationibus, Electionem Nobiliorem, Successionem aspectu  
aliquo meliorem.

N. 5. Tutius autem judicatur in Electione, quod præcipui tantum  
ordinis, qui est Nobilium, suffragio peragatur; si enim omnes ad-  
mittantur Electio sine summa confusione peragi non possit.

At totius convocati Ordinis suffragijs Principem creare,  
quam paucos Electores diligere præstabit. Quippè pauciores vel  
muneribus vel promissis facilius corrupti possunt. Et quam-  
vis mudi-

vis multitudo ad consensum tardior, Electio tamen majoris pars suffragiis absolvit potest, ut Reipublicæ vacue & laborandi consilatur: utque omnibus motibus & dissensionibus impotatur finis, Nec major vis & authoritas est tribuenda suffragiis illorum qui eminentioris fortunæ. Quod maximè observatur in Polonia si autem eligentes discordes sunt ac hæsitant inter plures, qui ingenio, virtute, genere opibusque pares digni Imperio offeruntur, Sortitionem offero. Nihilominus enim Electio in suo vigore manet. Quippè Sortitio accessorium tantum, cui precedit Electio.

## C A P U T 6.

de

### Conservatione Regni.

N. 1. Exposita optima Reipubl: forma, operæ prætium erit adjicere aliquid de conservandæ modo: Non minor enim est virtus, quam querere parta tueri. *Fransisc. Patrit. in Dialog. Hist.* ubi jam acquisitum est imperium, super est ut conservetur. Conservatur autem iis artibus facillimè, quibus initio partum est. *Salust.* Quibus modis acquiritur Imperium, iisdem etiam conservatur & augetur.

N. 2. Modi, quibus acquiritur ex fine Electionis & Constitutionis Regis, quæ est Beatitas Civium judicantur. Ita enim Seneca, Rex non eligitur ut sese molliter curet, sed ut per ipsum ij qui elegunt bene beateque agant. Inde *Claud. ad Honor* Tu civem patremque geras; tu consule cunctis. Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna. Summus Magistratus sic Imperium ut propriam familiam, eodemque animo & affectu curet. *Philip. Commeius.*

N. 3. Duo autem ad bonum publicum maximè conducunt *Virtus, & Prudentia Principis.* Est illud extra omnem aleam, maximum esse momentum Virtutis, maximum quoque Prudentiae. Cum illa inter omnem fortunam prosperam & adversam recta incedat; hujus vero tanta in omni negotio sit necessitas, ut sine ea virtus,

virtus, ceu palabunda erret, nec honesti aciem attingere valeat.  
Barl. in Diff. de B. P. Just. Lips. in l. 2. Pol. c. 7. Duo inquit sunt quæ  
legitimum & numeris suis absolutum Principem faciunt: Pruden-  
tia & Virtus. Illa utin Actionibus ejus eluceat, hæc in vita. Qui pla-  
ne diversus à Nicolao Machiavello Florentino, viro ingenij perspi-  
cacious, at honesti perversissimo æstimatore. Is in suis de Principe  
ac Republ. libris, istiusmodi format Reipubl. Rectorem quem pru-  
dentia quidem insignis commendet, sed virtus probitasque pessi-  
mo divortio destituant. *De quo Barl. d. l.* Monstrum Principis  
adornari dicas, non Principem; Impostorem, non Patriæ Patrem;  
pro pastore populorum, vafrum insidiatorem, astutum commodo-  
rum suorum cauponem, & vulpem purpura indutam, cui scelus  
omne modo prosperum & felix pro virtute sit, & ipsa religio  
mercimonium lucrandi illud unum, quod sibi utile putet. Nulla  
etenim Principis prudentia sine virtute, neque magis alteram ab  
altera in Principe Optimatibusq; separandam censeo quam quæ  
divelli nec natura, nec lex, nec ratio nec Deus ipse permittant.

N. 4. Convenit autem virtus Regi. I. ex Decoro: Quia ita deco-  
rum est, ut probitate emineat qui dignitate. Cyrus non censebat  
convenire cuiquam Imperium, qui non meliore esset iis quibus im-  
peraret, Rex constituitur ex idoneis aptisque ob eminentiam vir-  
tutis aut actionum, quæ à virtute. Arist. l. 5. P. Virtus enim sola &  
unica est, quæ affectibus ratione imperat, & luxuriantes animi  
motus in ordinem cogit. Hominis peculium est & depositum pecu-  
liare, media incedens inter divinitatis cœlestem excellentiam & ir-  
rationalis creaturæ terrestrem ac ignobilem sortem. Quod si ita  
est? utique in Principe eam non esse solum, sed & eximiam esse  
oportet, tanta quoque excellentiorem, quanto inter homines con-  
spectior est, quisquis imperat. Barl. in diff. de B. P. Secundo. Ex fa-  
ma. Quæ parum pura, si non vita Just. Lips. L. 2. Pol. c. 7, Ea verò  
maximum ad Rempubl. adfert momentum, quæ facillimè vacil-  
labit, si à vitæ integritate & virtutis præcepto recesserit, qua va-  
cillante labascit ipsa Soliorum Majestas, & evilescit Sceptrorum  
reverentia. Igitur jure cavere debet, qualem famam habeat,  
qui qualemcumque meruerit magnam habiturus est: Omnia enim  
facta dictaque Principis rumor excipit. Sen. de Clem. Nec magis  
[cum,

eum, quam Solem latere contingit. Principis flagitia non magis latere possunt, quam in ore ipso ac vultu fœdissimus cancer: Nam regiae fortunæ sublimitas Regum actiones obscuras esse non patitur. *Bod. de Republ. 4. c. 6.* Quia magno imperio prædicti in excelsis vitam agunt, eorum facta cuncti mortales novère, *Salust.* Et invisum, semel Principem, seu bene, seu male facta premunt. *Seneca. Inde Tacit. L. 1. Ann.* Principis res magis famam quam vistant. Plerumque evenit ut qui Principes famam hominum contemnunt, ijdem etiam contemnant virtutes, & præclarum quippiam, dum vivunt, agere negligant. *Daneus in Aphor. Polit.*

Tertio. ExtUtili. Nec potest Stare sua imperio incolumentas ubi virtute non nisi ad Sordidum quæstum & nundinationem utitur Imperator. *Barl. in f. d.* Ubi non est pudor nec cura juris, Sanctitas, Pietas, fides, Instabile Regnum est. *Seneca.* Sitante oculos Nero, & qui alij Tyrannorum, quos sua immanitas, sua luxuria, cervicibus publicis depulere: Si Rempublicam rectè instituis gerere, virtus tibi cum civibus communicanda est. *Plato.* Ea enim Principum est conditio, ut quicquid faciant, præcipere videantur. *Vellej. Patrc. de Augusto.* Rectè facere cives suos Princeps optimus faciendo docet. Cumque sit Imperio maximus, exemplo major est. Nam Populus in Regem tanquam in edito loco positum & in clarissima luce versantem, oculos conjiciens, omnia curiosè & diligenter inquirit, quid agat, quid dicat, quemadmodum vivat: & in illius animum q.s. per rimulas inspicit. Vitia non solum Principes concipiunt sed etiam in Civitatem infundunt, plusque exemplo, quam peccato nocent. *Cic. Unde Plato.* Non tam imperio nobis opus est, quam exemplo: Nam Regis ad exemplum totus componitur orbis. Quales in Republ. Principes sunt, tales reliquos solere esse cives, *Cir. in Ep.* Plerumq; accidit ut ij qui subsunt, mores eorum exprimant, sub quorum Imperio degunt. *Camer. Cent. 1. c. 66.* Est autem subditis omnibus quasi lex ab ipsa natura insita, ut omnia Principis dieta, facta, gestus, mores accuratissimè imitentur; atque in id unum intentos habeant oculos, Studia, mentes, ut ejus singula vitia, virtutes, omnem denique corporis & animi habitum ipsis animis & mentibus expressum habent; ut rectissimè Plinius vitam Principis censuram appellaverit,

D

camque

eamque perpetuam ad quam dirigimur, & ad quam convertimur,  
Ita cum Principe laborat universum regni corpus. Ad honestas  
cum praeit sequimur; ad vitia itidem. Phœbææ instar lampadis  
est. Hæc cum serena, orbem irradiat, cum nubibus objectis  
flagellatur, eundem foeda caligine involvit. *Bærl. in s.d.* Da Prin-  
cipem pius, religionis ac Sacrorum cultorem Studiosum; dabo  
plebem, quæ optimum hoc Principis sui exemplum legem esse ar-  
bitrabitur. Da versipellem, qui que religioni, quam erroneam no-  
vit esse, ad hærere simulet; dabo plebem simulandi & dissimulari-  
di peritissimam. Da crudelem, tenacem raptorem, fœdifragum;  
dabo Populum, qui regium esse putabit etiam illa sectari, cum ex-  
pedire putabit. *Franciscus major Rex Francorum, & Mansor Africæ*  
ac Hispaniarum Imperator, alio quidem uterque tempore ac loco,  
bonas artes ac disciplinas incredibiliter amplexatus est; repente  
Principes Patrij, nobiles sacerdotes, milites, opifices, omnis de-  
niique ætas, omnis Sexus tantis Studijs omnium artium ac disci-  
plinarum scientiam prosecuti sunt, ut nullis unquam seculis, nul-  
lis usquam religionibus tanta Doctorum hominum seges, quam  
subillis Principibus existisse videatur. *Infirmus itaq Reipubl.* Status  
sine virtute; cum eâ firmus & felix. Ad exitium natæ hæ voces,  
Sanctitas pietas, fides: privata bona sunt. Quâ juvat, Reiges cant.  
*Senec.* Optima imperij decora sunt, honestas, fides, probitas,  
Sanctitas, & recti tenax simplicitas: Hi Satellites principem in fo-  
rum, hi in Curiam comitentur. *N.s.* Ante omnia autem Regi cutæ sit  
cultus Dei. Rex quidem summus hominum, & omnia mortalia  
infra magnitudinem ipsius jacent. *Tacit. L.14. Ann.* Supra vero  
ipsum, Deus qui illum evexit. *Test. S. S.* cuius benignitati, referen-  
da gratia, quod summæ rei impositum, in proximo sibi fastigio col-  
locaverit; Simulque invocanda ut conservet fortunam suam nimis  
lubricam. Arduum enim & subjectum fortunæ regendi cuncta o-  
mnis Summis negatum est stare diu: Vel à Deo propter abusum felici-  
tatis immediatè summis calamitatibus vel ab hominibus magnis  
bellis, sive ex invidia sive ex metu statim affliguntur: *Herod. die Pol-*  
*gerat. v.6.* Ita Pvlycratem in cruce mortuum Legimus, Bajazetem  
in cayea. Dionisium in Schola, Boleslaum P.R. in culina. Quanto  
igitur

igitur plus adeptus sit tanto se magis in lubrico *Tacit. Lib. I. Ann.*  
Recte Dion. Prusensis in *pr. praecept. cegior.* Instituit Reges : Deos  
inquit, colant & venerentur : Deinde homines curent & ament :  
si & ipsi redamari cupiunt : Et *Aristoteles L.5. Pol. c. II.* addit rati-  
onem, quare Principes pietati maximè Studere debeant, quia ob-  
dientiores hebebunt subditos, quippe, qui putant Deos vindica-  
turos si quid in Principem pium peccaverint, *Nicol. Papa. L.2. q. I.*  
Negat, Lotharium verum fuisse regem, propter adulterium cum  
Gualdrada commissum. Sed puto pletatem amplectendam esse  
Principi, quatenus Christianus est, & non ad officium Politici, sed  
Theologi pertinere, quam Politicus semper presupponit, ipse vero  
occupatus est in ijs virtutibus quæ Regi insunt ut Regi. Alioquin  
Cyrus, Darius, Alexander M. Augustus, Trajanus, quia Christi-  
anos persecuti sunt, & cœteri vera pietate destituti Reges non es-  
sent, nec Constant. M. Carolus M. Casimirus M. qui permultis no-  
tabilioribus vitijs se conspurcarunt. Proprium autem Regis offici-  
um ab ejus persona desumi debet, quæ publica est, & consistit in  
gubernatione subditorum. *Virg. L. 6. Aeneid.* Tu inquit, Anchise,  
regere imperio Populos. Romanè memento ; hæ tibi erunt  
artes pacique imponere morem. Parcere subditis, & debellare  
superbos, quem versum *Jacob. vi.* Rex Britanniæ filio suo in *pr. lib.*  
*2. & in fine. L.3. Inst. Reg.* commendat. Idem *Seneca in Octav.* sed  
adjectis pluribus : Consulere patriæ, parcere affictis, fera cœde ab-  
stinere, tempus atque itæ dare, orbi quietem, seculo pacem.  
suo.

N.6. Virtutis species quasdam magis necessarias quæ eminent  
et propriè Regnum sibi postulant in regno, fatetur *J. Lips. L. 2. P.*  
*c. 10.* Sunt quædam dicit ut immuta sidera, quædam ut magna. In-  
ter magna luminaria habet Justitiam & Clementiam. E quibus il-  
lam uti Solem facit. Qua nisi Imperiorum omne corpus illuceat,  
tenebrae in ijs, tempestas, nimbi. *Cicero enim L. 2. Off.* huic tantam  
vim ascribit, ut nec ij quidem qui scelere ac maleficio pascuntur,  
possint sine ulla particula justitiae vivere.

§. 1. Vetustissimi mortaliū nulla adhuc male libidine corru-  
pti, sine scelere eoq; sine poena aut coercitionibus agebant, & ubi  
nihil contra morem peterent, nihil per metum vetabantur. *Tacit.*

L. 3. Ann. Ait mox leges egregiae, exempla honesta, ex delictis aliorum nata. Maximè fama celebravit Cretensium, quas Minos: Spartanorum, quas Lycurgus; ac postea Atheniensium, quas Solon prescripsit. Et autem legum ferendarum potestas maximè Regis cuius Summæ potestatis est imperare, quod magna sit ex parte legibus: Nullam enim vim habituras, nisi munirentur auctoritate illius, qui plenitudinem Imperij possidet.

§. 2. Præscindunt sibi hoc Majestatis caput illi Principes qui jure jurando promittunt subditis, se nihil ex privilegijs vel L. L. mutaturos, aut innovaturos; seu qui LL. caduciarias ferunt, cum clausula, in perpetuum valituras Successoris enim potentia nequit Antecessoris statutum præjudicare, nec tenetur, qui cum summa potestate est, Antecessoris acta confirmare. L. 2. C. de Ver. Jur. enucle. Imperator posterior prædecessoris sui factum abrogare potest. Quæ enim benè Statuta, propter honestatem servanda sunt Successori, non propter vim legis.

§. 3. Respublica autem nullum firmius aut Stabilius fundatum habet quam justitiam; Eam Princeps in se, inque aliis firmiter servet. Primum ejus munus est jus reddere; Hæc causa ob quam creatus, ut suum cuique detur, servetur. Cic. L. 2. Off. Fruendæ justitiae causa olim benè moratos Reges constitutos. Quid enim aliud quam contra vim & manuariam illam Legem inventi & investi isti, ut essent, qui summos cum infimis pari jure retinarent? J. Lips. L. 2. P. c. II. Hac una reges olim sunt sine creati: dixerat Jus Populis, injustaque tollere facta Hesiod. Principes instar Deorum sunt: Sed neque à Diis nisi justæ Supplicum preces audiuntur, neque quisquam in urbis templo perfugit, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Tacit. L. 3. Ann.

§. 4. Non tamen omnium negotiorum Judex sit: Ubi autem conventus ac judicia possunt, gravis, intentus, severus, & sapientius misericors. Objecta criminis pro approbatis non habeat: Sed cuique defensio relinquenda: Nihil reum prohibeat quominus cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari, aut si qua sit iniqüitas, accusatoris, coargui possit. Nec in auditos damnet: Imò advocatione quandoque reo permittat quamvis secus placeat J. Lips. Et Celsus. L. I. putat sine causidicis satis felices olim fuisse futurasq;

futurasque urbes. Publica mercis nihil tam venale putat *Tacit. l. xi.*  
*Ann.* quam Advocatorum perfidiam : qui nimicitias quoq; accusations, odia & injurias fovent. Namque ut vis morborum pretia medentibus ; sic illis fori tabes pecuniam adfert. Paulus de Ivanicze illos perfidos litium nominat Satores. Verum enim vero Lex quidem olim Cincia ideo lata fuit , qua cavebatur ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur : Sed paucorum culpa nihil universorum juri derogandum. Coeterum delicta castiget Rex jure non vi. Tempestivè : nec intempeftivis remedij delicta accendat *Tacit. l. 12. Ann.* nec cito damnet. Tarde enim & pœnis usitatis. Quosdam in exilium projiciat, quibus inopibus quanto longior vita, tantò majus suppliciierit. Sed & in hoc magna ratio est habenda, ne idem experiatur quod olim Roma quæ miserrime ab in exilium missis vexata. Palam quoque, & interdum clam. Non diebus festis sed profanis. Nec coram interficiantur: Visui consuлат Princeps. *Tacit.* Nero subtraxit oculos, iussitque scelera, non occisis illudat: Obominandum Othonis quod solum cædem Personis maxima lætitia exceperit sed & caput ejusdem in satiabilibus oculis Perlustravit, Non melior Tiberius, qui foeminas, quæ occupandæ Reipubl. argui non poterant, ob Lachrymas punivit. Necata est anus. Vitia Fusij Gemini mater, quod filij necem flevisset.

N.7. Alterum quod *Just. Lips.* Principi præsert lumen Clemencia est, Quam, uti justitiam Solem dixerit, lunam imperiorum appellat. Munera ejus, mitis & mollis, ea Diva quæ lenit, quæ temperat; noxios eripit, Lapsos erigit; & servatum it eos ipsos qui se perdunt. Hæc convenientissima Principi, quia humanissima. Nullum ex omnibus magis, quam Regem aut Principem decet. *Sen. de Clem. l. i.* Quoniam plus habet apud illos quod servet, ac majore in materia apparet, eriam omnia conciliat, quæ fœctio digna: Præfertim Amorem; qui vult amari languida regnes manu. Amor autem Populi diuturni Imperii fundamentum est. Ama eos quibus imperas; Et effice, ut ab ijsdem quoque vicissim ameris *Flocr. in Orat. ad Nicol.* Plato & Arist. metiebantur Regem ex amore subditorum sicut è contrario Tyrannum, ex odio. Si enim omnia commoda à Rege accipient subditi, non possunt noncum

D<sup>3</sup>

amare

amare. Plin. in Paneg. scribit, Trajanum tanto amore prosecu-  
tos fuisse subditos, ut alij se satis vixisse ipso viso, alij ipso viso ma-  
gis vivendum esse prædicarent. Et Nerva id sibi putavit palma-  
rium, quod nihil fecerit, quo minus possit tutō vivere, & si pri-  
vatus vivat & Imperium deponat. Errant itaque qui Imperium, vi-  
quod sit, stabilius putant, quam quod lēnitate & clementia. Fir-  
missimum longè Imperium est, quo obedientes gaudent. *Liv. L. 8.*  
nec ulla potestas tuta nisi benevolentia munita. *Emilius prob. in vi-*  
*ta Dion.* Quis enim eum diligat, quem metuat, aut eum à quo se me-  
tui putet. Non sic excubiæ, nec circumstantia tela, quam tutat  
tur amor. *Claud. ad Honor.* Hæc arx inaccessa, hoc in expugna-  
bile munimentum est munimento non egere. *plin. Pan.* Amorem  
igitur Rex apud popula res, metum apud hostes querat. *Tac. L. xi.*  
*Ann.* Atsequi autem videtur Rex favorem subditorum, non per Se-  
veritatem sed per Clementiam : Clementia enim secundum *Sen.*  
*L. i. de Clem.* non tantum honestiores, sed & tutiores præstat, or-  
namentumque imperiorum est simul, & certissima salus. *Leo Ma-*  
*gnus imperator dicere solitus fuit:* Ut sol quibus affulsi, ijs calo-  
tem impertiri soler; ita & ab Imperatore Clementia tribuenda iis,  
quos aspergit. Omnia tamen cum judicio : Absque illo, mollities  
hæc & lenitudo, flagitiumque non virtus. Secedit paulum ab acri il-  
lo Justitiae Sol-hæc luna : Sed secedit, non discedit, diversa potius  
quam adversa ; Et hoc bono nostro ; quoniam sine peste & pernicie,  
generis humani illa esse non potest, Nati omnes peccare & labi  
sunt, qua privatim, qua publicè, neque lex est quæ satis validè vetet  
aut capiat modum. *Thuc. L. 3.* Itaque sæpè dissimulandum : auto-  
mnes & omnia perdenda. Omnia scire, non omnia exequi Princi-  
pem decet : Parvis peccatis veniam, magnis severitatem commo-  
dere *Tacit. in Agric.* Etenim severitas amittit assiduitate auctorita-  
tem *Senec. L. i. de Clem.* ideo non poena semper, sed sæpius poeni-  
tentia contentum esse *Tacit. p. l.* videbis ea sæpè committi, quæ  
sæpè vindicantur, *Sen. L. i. de Clem.* Ita crebra punitio vilescit,  
imò iritat peccata Rebellionesque excitat. *Sen. p. L.* Utarbores  
quædam recisæ pullulant : Ita regia crudelitas auget inimicorum  
numerum tollendo. Fœdum est magnitudinem imperatoriam  
et de insignium virorum quasi regio facinore ostentare. *Tacit. L. 16.*  
*Annal.*



*Annal. suppl cium hominis oblio sequitur; si in columen serva  
veris, æternum exemplar Clementiae est. Funera non Medicum,  
nec Principem supplicia commendant: Præsertim novo Imperio.  
Tacit. L.4. b.ist. Novum imperium inchoantibus utilis est Cle-  
mentiae fama: Crudi enim & immites nunquam diuturni; Non Cinnæ  
non Sullæ longa dominatio fuit. Malè sanè terrore veneratio ac-  
quiritur: Longeque valentioram ad obtainendum quod velis,  
quam timor. Plin. l. 8. Ecclœ verba Salust. ad Cæsar. Cuncta imperia  
crudelia, magis acerba quam diuturna: neque quoniam à mul-  
tis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat, Eam  
vitam, bellum æternum & anceps gerere quoniam neque adversus,  
neque à tergo aut lateribus tutus sis, semper in metu aut periculo  
agitare.*

N. g. Allegavi superius *Just. Lips.* dicentem, Virtutum gene-  
rum quædam ut magna sidera, quædam ut minuta. Magna dixit  
Justitiam & Clementiam: Minuta, Fidem & Modestiam. Equibus  
illa Justitiae ita vicina est, ut falteram altera nisi verè dixeris, nec  
refert utram. Hæc enim in animo non subsidet, nisi in quo illius  
honos & amor, Cum Fides justitiae fundamentum est. Cic. L.1. Off.  
Commendatur hæc virtus Principi, ut columen humani generis à  
*Just. L.2. P. c.14.* Cui Principi sua aut publica res chara est, fides  
omnino cara sit: Sanctissimum enim humani pectoris bonum est.  
*Sen. in Ep. 89.* Unde non immiterto in Capitolio vicinam Jovis opti-  
mi Maximi Romani esse voluerunt. Verum enim vero trans in-  
principibus fœdior est quam violentia *Thucid. L.4.* Privus si falsa-  
loquatur, criminis est, quod si Princeps, blasphemia summa. *Ludit*  
*Frid. Hujanus, Vinaria Thuringus in suo Principe Bono ad Frid. 1,*  
*Bob. Reg. Comit. Palat.* Fidem fallere gravibus est grave, gravis-  
simis autem & exemplaribus gravissimum, quoniam & in se malum  
est & extra se alios exemplo informat. Hinc Aristoteles Alexan-  
drum sæpius admonuit ne fidem frangeret, nisi calamitosum  
rerum suarum exitum sperare vellet, Cum nihil magis congruum  
est humanæ fidei, quam illud quod semel placuit, ratum ha-  
bere. Admodum heroicè respondit Carolus V. Eccio cum in *Com.*  
*Worm. de Anno 1521* instaret ne Lutherò fidem datam servaret:

Etiamsi

Etiamsi fides toto terrarum orbe exularet , apud Imperatorem tamen immaculata manebit. vid . Bod. L. 5. die Republ. Res pulchra cui sicut fides, Euripid. Non audiendi vulpiniones, qui suffodiuntur, ut omnia recta & honesta negligat Princeps, dummodo potentiam consequatur. Abominandi qui intermortuum illud recoquunt : Jus regnandi gratia violandum est : Ajlis rebus pietatem colas : Imo omnia retinendæ Dominationis honesta. quod Catilinæ Socius M. lepidus. Ne rumpas ergo foedera pacis, nec regnis postferas fidem : Nam profecto etsi quis primò perjuria celat : Sera tamen tacitis poena venit pedibus , Tibull.

N. 9. Alterum minutum sidus est Modestia , quæ Clementiæ assidet. De Clementiæ lumine Modestiæ lumen resfulget,. I Lips. L. 2. P. c. 15. Quæ virtus cū alijs inculcanda, tum Principi maximè, quem in alto positū nō alta sapere difficile est. Bern. Ex. Rarae quidē in aulis & apud magnos Contemptor animus & Superbia commune nobilitatis malum. Salust: in Jug. Esse tamen debet: Nam supra non extra homines Princeps: Et Regnum, & omnia regni vana, incerta. Imo ruinæ præcipiti obnoxia. Igitur invidiam & arrogantiā fugiat Princeps, cum cuncta mortalium incerta, & magnæ fortunæ magna pericula. Brevibus momentis summa quæque vertuntur. Repentina vis Cæsarem Dictatorem oppressit. quanta itaque nobilitas & fortuna, tanta illi rerum prosperarum sit Moderatio. Tacit. L. 12. Ann. Laudat Vespasianum, quod in eo nihil tumidum: arrogans, aut rebus novis novum fuerit: Cum eum Imperatorem milites salutarent, Casaris, Augusti, & omnia Principatus vocabula cumulantur. Ipse Tiberius fingendis virtutib; subdolus nomen Patris patriæ repudiavit. Egregiè Curt. lib. 7. Fortunam tuam Princeps pressis manibus, tene; Lubrica est nec invitata teneri potest. Impone felicitati tuæ frenos facilius illam reges. Recordare Princeps quod Leo ipse a liquando mini marum animalium pabulum fiat & ferrum rubigo consumat. Modestiam tamen ita commendo Principi, ut non spernā Majestatem: nec magis eam à Principe removeo, quam virtutem ipsam, quæ plerumque illam gignit. In privato dicitur Auctoritas, quæ in Principe Majestas. Maximè ea utilis regnanti, conduceitque ad stabiliendum regnum: Majestas enim Imperij salutis est tutela.

futela. Majestas Principem defendit: Magnum in utraque fortuna robur *Tacit.* L. 1. *An.* Multum in bellis administrandis atque imperio militari valet. *Cic. pro leg. Manil.* Divus Julius seditionem exercitus uno verbo compescuit. Alexandrum monuit Mater, ne nimia familiaritate autoritatem suam perderet, & Imperium dissolveret. Unde *Tacit.* L. 2. *Ann.* Sit Princeps visu & auditu juxta venerabilis, magnitudinem ac gravitatem summæ fortunæ retinens. Rarus illi in publicū egressus, nec prompti aditus nec obvia comitas: Majestati enim ex longinquore reverentia, hominibusque omne ignotum semper pro magnifico est. Utque Regia Majestas, quæ pluribus populis imperat, sit venetabilius subditis, debet externè quoq; splendere: ac proinde Rex custodiam corporis habeat: regiam supellectilem sumptus longè majores privatis faciat. Sic Cyrus post Babylonem captam. Augustus Imp. ad custodiam sui corporis habuit decem millia militum non robore solum, sed stirpe & domo eximia, contra motus subitos, & ad plebem Romanam cœrcendam.

N.9. Prolixum esset cœtera coacervare, quibus Regem instituere solent Politici: Ut Liberalitas, Amor in Conjugem, Ira, & alia multa: Sed prioribus imbutus de his & alijs facile judicabit. Liberalitas decet Principem cum delectu & modo. Amor in conjugem, non obsequium. Iram vitet aut aperiatur, in convitia non inquirat.

N.10. Composita regia Virtutum veste. Prudentiæ telam ordior, cuius ad omnes res humanas usus, sed ad imperium maxime. Quod sine ea infirmum, imo nullum. Vim solam cogitas frustra *J. Lips. lib. 3. P. c. 1.* Cyclops ille Princeps, cui abest lumen hoc frontis. multum equidem Rerumpubl: Rectoribus præsidij in viribus, in milite, in opibus positum est; Sed sine prudentiæ, invalida illa & noxia. Vis prudentiæ adjuncta usui est, sine ea abit in noxam: Vim temperatam Dii quoque provehunt in majus. *Horat. lib. 3. Od.* nec male *Valer. Flac. 1v. Argon.* Non solis viribus æquum credere sæpè acri potior prudentia dextra: Et in gubernatione palam potior; Sola enim lene frenum est, quo voluntarii rediguntur in obedientiæ gyrum. *I. Lips. in L. 3. Pol. c. 1.* Ecce inquit, ne animalia quidem cœtera domueris sine tractatione quadam & arte: tu speres hominem? qui natura refractarius. Facilius est

E

omnibus

omnibus animalibus, quam hominibus imperitare. Ideo prudenter opus cuius vis supra vim. Xenophon. Bart. in diff. de B. P. Est Principis, ad populi se indelem & mores componere, & uti quædam animalia mulcendo, quædam cædendo ad obsequium flectuntur ita civium alios asperitate, alios lenitate inobedientiæ gyrum redigere. Erit ita Principis prout rerum ac temporis exigit varietas, ijsdem apfare consiliorum rationes. Et sic Aristotelis Oraculum verum: Prudentia Imperantis propria & unica vitus. De qua optimè judicatur in novo Regno. In eo enim maximè opus.

N. 11. Evehuntur autem ad Regnum vel vi, vel petitione & consensu Populi. Quodlibet conservandi singularia habet principia. Supra jam adduxi, Imperium ijs artibus facillimè retineri, quibus initio partum est. Institutum est apud Turcas, ut intranti templum Imperatori, Sacerdos occurrat, claraque voce pronunciet, ut meminisse velit, imperium, quod Justitia & virtute bellica partum sit, non alijs quam iis artibus conservari, propugnarique oportere. Maximum ita J. C. Politicum commisit Solœcismum quod milites Praetorianos corporis regalis fidos custodes dimisisset, negligens Pansæ & Hircij apud Vell. Patrc. Lib. 2. c. 27. monitum prudens: Principatum armis quæsitum, esse armis tenendum. Quod si arma servasset, hominibus improbis terrorem incussisset, seque ipsum à civibus sceleratis securiorem reddidisset. Prudentior Augustus, & cauator Crom-Wellius. Nam quod Civibus tenere te invitit scias strictus tuetur ensis. Sen. Nec tamen mea mens est, sclera sceleribus esse tuenda. Aliud enim est vis armata scelus ab alijs intentatum propulsans; Aliud eadem vis non tantum meditans, sed etiam inferens aliis damna, exilia, mortes & bonorum publicationes.

N. 12. In novo regno, petitione & consensu Populi delato, omnia sunt accuratè & diligenter disponenda & munienda; Lenteq; & cum tempore: Celeritas enim Prudentiæ vera pestis. Omne subitum naturæ inimicum, etiam de Imperiis verum est. Agis propterea perijt, quod repente leges pristinas revocare vellet. Plus. in Agi, Prudentior Augustus, qui non omnia statim ut decretum erat, executus est, veritus, ne parum succederet, si simul homines transferre, & invertere vellet: Sed quædam ex tempore disposuit, quædam rejecit ad

fecit ad tempus. Et hoc maximè conditio nascientis Monarchiæ suadet, sàpè indulgere aliquid, & fucum aspergere, ne sentiat iuris à se auferi. Quia in parte maximè antecelluit calliditas Tyberij, quem cum narrasset Tacit. L.1. infini platima Senatui induluisse, subdit: *Hac omnia speciosa verbis, re iuvania ac subdola; quantoq; maiore libertatis imagine regebantur tanto eruptura ad infensius servitiū.* In cuius Aula dicerem vixisse Cromwellium Port. Arg. Multa itaq; innovare & corriger flatim in principio non Prudentis puto: Composita enim & antiqua statuta in Republica tollere, periculosest. Expertus Ludovicus XII Gal. R. qui multa innovare & corriger institueret; Inter alia, cum Professores & Studiosi Academiæ Parisiensis paulò licentius agerent, fretis privilegijs olim sibi indultis, placuit, ut privilegia, per quæ peccatum, Academicis eriperentur. Magni præterea motus: Statim facta inter Professores & Studiosos coniuratione, ut illi non docerent, hi aliò se conferrent, donec privilegia restituerentur. Igitur præstabit interpretando corriger, quam tollere. Et prudenter faciunt Principes & Magistratus, qui in omnibus Decretis, seu omnes illa, seu singulos concernant, in omnem eventum interpretandi sibi servant Authoritatem. Præterea in novo regno, & populo & nobilibus gratificandum est: Nec temerè veteres Officiarij deponendi. Hæc enim Ludov. XI. G. R. in tantos angustias adegerunt, ut penè Coronam & Sceptra regalia amisisset.

N.13. Duplex autem est Prudentia Principis: Vel A Se, vel ab aliis, Hesiod. Oper. i. Laudatissimus est, ipsus qui cuncta videbit: Sed laudandus & is, qui paret recta monenti. Ita Adjutoribus opus Principi: Hoc regiae prudentiæ caput J. Lips. L. 3. P. c. 3. Magna enim moles Imperij: Nec unius mens tantæ molis capax. Tacit. Elb. i. Ann. Eurip. Opin. Princeps sua Scientia non potest complecti cuncta; Igitur assumat in partem curarum alios, Tacit. L. 3. An. Habet Princeps quibus Secreta ipsius imitantur, & si quando res possit consilium illorum assumat. Mandet verò hos honores Spectatissimo cuique; nobilitatem majorum, Illustres domi artes, ac divini humanique juris Scientiam spectando. Tiberius virtutes eminentes non se contabatur, & rursum vitia oderat, ex optimis periculum sibi, & pessimis dedecus publicum metuebat. Just. Lips. L. 3. c. 4

Consiliarios appellat, qui fidi, rerum hominumque periti, Salutaria suggerunt pace fine bello. Fidos, qui vita propterea, & verum hominumque periti, id est, prudentes; Prudentis enim hoc proprium maximè munus arbitror, recte consulere. Et tales censeo qui morum animorumque provinciae gnari. Salutaria sugerentes. Hic finis est & portus quo velificentur Consultores.

N. 14. Inter alia Amici Principi necessari. Nullum magis boni Imperii Instrumentum quam boni amici Tacit. lib. 4. bistor. Caveatur vero, ne quando fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos pro sinceris sub specie bonarum artium falsos sub amicitia fallaces habeamus.

Cœtera Conservationis Regni Principia monet tacere illud Politicorum

*Scire tuum nobile est, Site Scire, hoc sciat alter  
Hoc tamen adjiciens  
Simula, dissimula, Princeps, quoties occasio poscit.*

S. L. & G. T.

## COROLARIA.

Explorationes regn alieni, sub specie munorum mittere  
Edorum optime fiunt.

Præstat in hostili, quam in tuo solo & regno dimicare.

Fœminæ ob assumptum virilem habitum non semper puniendæ.

Conjugium periculose quid.

Extra illud vivere præstat.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-557778-p0039-3

DFG



**ULB Halle**  
006 558 348

3



WOM





# FarbKarte #13

B.I.G.	Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9

1664, 9  
Nov 22  
15

ACADEMICA  
EIPUBL.  
TISSIMO,  
DRINA,  
S SIMONIS  
Philosophia P. P.  
VVEDELL,  
Philosophico  
1664.  
ECMANUS.

4½

